

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Jacobi Altingi Synopsis Institutionum Chaldæarum Et  
Syrarum**

**Alting, Jacob**

**Francofvrti Ad Moenvm, MDCCI**

**VD18 12825980**

Benevolo Lectori S.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14746**



## *Benevolo Lectori S.*

**Q**UUM ineunte anno 1643. Professionem Linguarum Orientalium in hac Academia auspicerer præter Hebræam mihi etiam docendam esse vidi Chaldæam. Huic enim in Veteris Instrumenti Libris datus est locus, non tantum sparsis hinc inde quibusdam sive vocabulis, sive vocabulorum formationibus, sed etiam insertis integris sententiis ac capitibus: ut manca mutilaque sit intelligentia Vet. Test. nisi Chaldææ quoque linguæ aliqua fuerit parta notitia. Quamobrem ne quid deforet Studiosis Prophetici sermonis, quorum mihi demandata fuerat institutio, illicò cogitare cœpi de adornanda Synopsi Chaldaicâ, nec non Syriacâ: quoniam adeò affine est, & tantum non idem cum Chaldæo idioma Syrum, sola propemodum dialecto discrepans, cujus exempla in novo Test. occurrunt, ex quo prima hujus versio expressa fuit. Insistens igitur Celeberrimorum Virorum Johannis Buxtorfii Patris, & Ludovici de Dieu vestigiis, utramque concinnavi, ac censendam mihi Nob. & Clarissimo Constantino L'empereur ab Oppyck, hujus approbationem quoque nactus anno Professionis meæ primo. Ab eo tempore in Collegiis privatis, Chaldæis, Syrisque, Synopsen illarum copiam feci auditoribus, qui abundè manuductionis ita sibi subministratum agnoverunt, & grati prædicarunt. Etsi verò non hi solum postularent, verum etiam ipse Celeb. L'empereur censuisset optimè de literis istis me meritum, si publici juris facerem: quandoquidem nihil tam exactum & compendiosum exstaret, quod privatim & publicè juventuti istarum linguarum studiosæ proponi posset: persuaderi tamen mihi passus non sum, cum quod tantam laudem



non agnoscerem, tum hac quoque de causa, quia tantum certitudinis heic non reperi quoad puncta eorumque mutationem, quantum quidem in Hebræis. Ergo satis duxi, quum Hebrææ punctationis Fundamenta primùm vulgarem, annotâsse, quæ ex linguarum Chaldææ Syræque analogiâ anomalam istic habebant rationem, quibus ultimam sectionem implevi; ipsa autem illarum præcepta manserunt inedita, quamvis manu plurium frequenter descripta, qui discentes à me acceperant, & postea docentes aliis vicissim impertierant. At nunc tandem instantibus *φιλεβραίων* efflagitationibus, ne describendo fatigarentur amplius Studiosi, assensus sum, maximè quia typographus characteres Syros nactus erat, ut appendicis loco accederent postremæ editioni Grammaticæ Hebrææ. Cæterum constitueram initio sociare Chaldæa & Syra, unoque Aramææ synopsos nomine insignire; sed forma libri non permisit, fueruntque ab invicem sejungenda, sic tamen ut comparanti convenientia utriusque linguæ nullo negotio animadverti queat. Porro id unum rogandus hîc mihi es, Lector amice, ut quo affectu ista Sacræ eruditionis subsidia à me communicantur, quo item Hebræa nostra jamdudum amplexus fuisti, eodem hæc quoque excipias, ac tuo ipsiusque Ecclesiæ bono feliciter iis utaris, fruaris, atque hoc pacto me, imò & te, votorum condemnes. Scripsi Groningæ Frisiorum Kalend. Augusti 1676.

J. ALTING.

SYN-



§. 15. Pro terminali puncto tzeri substituitur patach, quotiescunque sequitur Cheth, Ajin, vel Resch. Hæc litteræ etiam apud Hebræos ad faciendam pronunciationem affirantur. Patach amant v. s. 119. p. 219 & 215.

§. 16. Hebræorum Cholem plerunque mutatur in kametz, **כֶּמֶץ** quæ hæc vocalis fit ad sonum vincendum & p̄ne apud Hebræos *seculum* à **עוֹלָם**.

Eorundem duplex segol, nec non tzeri & segol nominum segolatorum in scheva & patach transit, **עֶבֶד** *servus*, à **עֶבֶד**, & **סֶפֶר** *liber* à **סֶפֶר** : ast geminum patach vicarium abit in scheva & tzeri, **סֵעֵב** *staturum*, à **סֵעֵב**.

§. 17. Duo schevata mobilia concurrere nequeunt, sed eorum prius mutatur in vocalem brevem, posterius autem fit quiescens. Vocalis illa brevis substituitur ferè juxta leges Hebræorum, v. s. 4. Hebræos a s. 57. — 57. sive utrumque scheva simplex fuerit, sive alterutrum compositum. Posterius autem scheva quando abjicitur, prius redit.

§. 18. Gutturales easdem anomalias pariunt, quas apud Hebræos : ut nec dages admittant, nec scheva simplex mobile. Vide §. 6. & 9.

SECTIO II. *de Nomine & Particula.*

§. 19. Genus Nominum aut Masculinum est, aut Foemininum; in paucis Commune. Præter ea, quæ significatione Muliebria sunt, etiam alia nonnulla ejusdem generis in litteram radicalem exeunt. Alias Foeminina definunt.